

X

*Ouverture de la Châsse du saint Suaire, faite
le 21 octobre 1516.*

Carta Focaldi de Bonneval, episcopi Suessionensis, qui anno Domini M^o D^o XVI^o, die vero vigesima prima mensis octobris, in ecclesia cenobii B. M. Virginis sanctorumque martyrum Cornelii et Cypriani de Compendio, sacratissimum lintheamen, ab Evangelista sindonem mundam nuncupatum et quo Dominicum corpus biduo in sepulchro involutum est, recognovit.

Universis orthodoxis atque fidei catholice cultoribus, Focaldus de Bonneval, Suessionensis episcopus, salutem in Domino semperernam. Notum facimus quod hodie, data presentium, ex ordinatione et sedula domini nostri Francisci, Francorum regis piissimi, hujusce nominis primi, efflagitatione, in venerabili ecclesia cenobii beate Marie Virginis et sanctorum martyrum Cornelii et Cypriani de Compendio, ordinis sancti Benedicti, ad Romanam curiam nullo medio pertinentis, in Suessionensi diocesi, nobiscum congregatis reverendis in Christo patribus Francisco, episcopo Ambianensi, Johanne Olivier, abbate monasterii sancti Medardi Suessionensis, ipsius domini nostri regis serenissimi cronographo, Nicholao Parent, abbate monasterii beate Marie de Ursicampo, Noviomensis diocesis, sacre theologie professore, fratre Guillermo Parvi, prefati domini regis confessionum auditore ordinario, et pro rege assistente, necnon venerabilibus et religiosis fratribus Roberto Orget, priore claustrali, Petro de Mara thesaurario, Anthonio Brion, priore prioratus sancti Petri Compendiensis, Johanne Parquier, preposito, et aliis religiosis dictae ecclesie Compendiensis simul assistantibus, una cum circumspectis viris magistro Roberto Senalis, sacre theologie professore, penitentiarioque Suessionensi, magistro Laurentio Letondeur, curie spiritualis Compendiensis communi vicario, Johanne d'Atiches, ecclesie collegiate sancti Clementis Compendiensis decano, honorabilibusque viris magistro Laurentio le Caron, in legibus licentiatu ac domini ballivi Silvanectensis locum tenente, magistro Petro Meurien, procuratore regio, et magistris Nicholao de Henault et Laurentio Thibault, jurisperitis, memorati cenobii Compendiensis consiliariis, pluribusque aliis et ecclesiasticis et secularibus viris,

ad aperiendam capsam, purissimo auro conflatam, lapillis gemmisque preciosissimis fabricatam, in qua quidem sacrum et venerabile lintheamen ab evangelista Sindonem mundam nuncupatum et quo Dominicum corpus triduo in sepulchro involutum est, ab imperatore siquidem Carolo, viro christianissimo et totius orbis monarcha magnifico, in prefato Compendiensi cenobio repositum et cum cordis eximia devotione in vase eburneo conditum, et postmodum in hujuscemodi capsula a Mathilde, pia Anglorum regina, transmissa ad Philippi Dei providentia Francorum regis serenissimi devotam intentionem, in ejus presentia plurimorum reverendorum presulum, aliarumque dignitatum personarum una cum numerosa plebis multitudine extitit introclusum, prout id nobis, per litteras autenticas ipsius regis Philippi, quarum subscriptur tenor, constanti fide innotuit :

In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen. Philippus Dei providentia Francorum rex piissimus. Ammonitus divinae Dei propitiatione et reliqua ut in *Cartulario sancti Cornelii*, n° XXII.

Actum est hoc Compendii, in palatio regio, anno ab Incarnato Verbo Dei M° XC°. II°, indictione quintadecima.

Hubertus cancellarius scripsit et subscriptis.

Signum Philippi gloriosi (*Monogramma*) Francorum regis.

Sane quidem, negotio hujuscemodi assumpto, non ab re visum est eodem contextu illud exequi, prout hac in re vires preberet Dominus. Igitur jejuniis, excubiis peractis et orationibus crebris ad eundem Dominum effusis, atque capsula hujusmodi super altare revestiarii prefati cenobii pretensa ac exposita et ex ea per aurifabrum ingeniosum diligenti opere lamina argentea inferius exinde acta, quodam ligneo et admodum parvo hostio reserato, in eadem capsula prius se obtulit parvum lintheolum, parvi corporalis instar, plenis tribus complicatum, subsequenter fasciculum panno sericeo diversorum colorum loris sericeis circumligatum infra inventum inde extractum est. Quo siquidem explicato, aliud lineum pannum in cuius extremitatibus tres erant linee diversorum colorum uno artificio contexte, una cum alio parvo panno sericeo albo in quibus, in rotundo globo longitudinis trium palmarum et latitudinis duarum, similibus modis et forma quibus piissimus ille Philippus, Francorum rex prenotatus, introclaudi decreverat, illud augustissimum sacratissimumque maxime venerandum lintheamen ex purissimo et tenuissimo lino contextum extitit repertum. Tunc prefatus reverendus

pater Ambianensis presul, abbatibus sancti Medardi, Nostre Domine de Ursicampo, confessore regio, priore claustralii, thesaurario ac notariis subrogatis secum assistentibus, eidem oscula figens longiusculam habuit supplicationem genibus flexis, Christum omnium sanctorum regem laudando, venerando, adorando et ipsum in suis exuviis invocando. Nec mora ad nos idem Ambianensis presul illud sacratissimum passionis Domini nostri Jesu Christi pignus ad sacramentum et majus altare, majorem in modum, venerandis sanctorum reliquiis, preciosis lapillis, nonnullisque ornamentis adornatum, sacrificium (quod peculiariter missam nuncupamus) celebrantes, pro sua humanitate attulit. Quod itaque ad manus modestissime acceptum officiose, pure, sancte ac devote, non sine lachrimis venerari et adorare censemtes, in finem sacrificii super altare (Christum Dominum nostrum representans) cum reverentia collocavimus; proinde sacrificio misse expleto ac cantico leticie et exultationis *Veni Creator Spiritus* (quatenus sue charitatis ignem immitteret roremque celestem infunderet) decantato, libet illud exuviarum Christi pignus assistenti plebi, prone supine et Domino jugiter servienti ac intente, spectandum preferre ad Dei beneficium agnoscendum et venerandum qui sua bonitate cunctis lucet et clarescit. Unde publicus declamator ad hujuscemodi plebem pro manifestanda veritate et eorum mentes a falsitatis errore astus maligni (qui ad decipiendas animas callidissimus est sophistes) avertendo verba fecit. Tandem nostro ex officio, nos una cum presulibus et officiariis regii prelibatis illud venerandissimum Christi pignus in ejus capsula recondi decernentes, ex fratrum religiosorum prefati cenobii proborumque virorum Compendii sedula ac importuna instantia, sollennem processionem (in qua nobiscum presules, fratres cenobii, predicatorum, minores, ecclesiasticum plebs Compendiensis convenientes) instituimus. Nequit enim paternitas nostra silentio preterire quod ille populus Compendiensis, admodum devotus, in contione publica tunc habita in atrio cenobii, ad illa visibilia passionis Domini nostri Jesu Christi monumenta venerandissima, devotione affiebatur quadringentis vigintique quatuor annis latitata spectanda oculis corporis offerri, non quod fidem in hiis que offerebantur collocaret, sed quod ab ecclesia recepta ac vere approbata arbitrabatur. Demum circa horam tertiam post meridianam nos suprafatus episcopus Suessionensis, ad instantiam supradicti dominij confessoris regii, una nobis astantibus dictis dominis patribus religiosis, priore et thesaurario, officiariis regii et notariis, sacrum et sanctissimum lintheum prememoratum, successive modo et forma

quibus involutum et inventum fuerat, in ejus capsula recondi et recludi fecimus, sigillisque reverendi in Christo Patris predicti domini Ambianensis presulis, conventusque predicti cenobii Compendiensis ac supradicti locum tenentis ballivi Silvanectensis communiri hujusmodi capsam ad laminam argenteam de parte inferiori, eam reponi cum reliquiis (donec ex consilio serenissimi regis Francisci alioqui ordinatum extitisset) jussimus et mandavimus, ad laudem Domini Nostri Jesu Christi qui pro nobis mortuus et sepultus est, vere descendit ad inferos regna tartarea mite subacturus, perfractus, spoliatus, qui vere tertia die resurrexit a mortuis, sedet nunc in dextera Patris, cui cum eterno Patre et Spiritu Sancto communis honor, par gloria, equa potestas per infinita seculorum secula. Amen.

De et super quibus omnibus et singulis litteras per notarios subsignatos fieri mandavimus et jussimus una cum appensione sigilli nostri.

Acta fuerunt hec hodie, vicesima prima octobris, anno Domini millesimo quingentesimo decimo sexto.

M. FABRI,

prefati reverendi in Christo patris et domini Ambianensis episcopi secretarius.

C. de BEAUREGARD,

Secretarius prefati reverendi domini Suessionensis episcopi.

Ego Anthonius Raquet, presbyter, artium liberalium magister, Suessionensis diocesis, publicus sacris apostolica et imperiali curie que spiritualis Belvacensis notarius juratus, quia prefatam congregationem, capse apertione, sacratissimi Sindonis Domini nostri Jesu Christi inventionem [intuitus sum], omnibusque aliis et [per] singulas omnes, [dum], sicut premittitur, per predictum dominum episcopum Suessionensem et coram eo agerentur et fierent, presens fui, eaque sic fieri vidi et audivi ac in notarii sumptibus signoque et nomine, modis solitis et consuetis una cum prefati domini episcopi sigilli appensione presentes litteras signavi, in fidem robur et tutelam premissorum, requisitus et rogatus.

RAQUET.

Le sceau de Foucaud de Bonneval, évêque de Soissons, jadis appendu à la charte a été enlevé.

Original en parchemin aux Archives de l'Oise, H, 2168. — Dom BERTHEAU. *Histoire de Compiègne*, Biblioth. Nation. ms. lat. 13891, fo 93.